

bus hisce maioribus binæ singulis minores fenestræ recipiendis item minoribus tormentis destinadæ hoc modo astruentur, vt mediæ viginti duobus pedibus à se mutuo distent: quarum à fronte pedes tres, ponè vndecim patebunt singulæ. Thorax verò pro hisce fenestris, item vt supra trium pedum crassitiè fortietur. Porrò si quidè illi, qui à bombardis sunt, peius sibi ab hostium iniuria metuēt, cōueniet fenestras asseribus palmā crassis, atq; magis p̄ceris quàm latis obducere, seriatim dispositis ac ita coaptatis, vt ad globorum impulsū assultantes, ictum quasi elusione quadam refutent. Qua quidem forma hæc omnia fabricare conueniet, vtque tormentis superstruenda sint tectoria in fra cūm structuræ attollendæ trademus rationem, docebimus explicatiùs.

Cæterū me iudice satius fuerit vallum istuc nullis tormentorum propugnaculis cingere, sed circumquaq; thoracem hæcenus attollere, donec viro mediocri ad precordia assurgat. Murus igitur semel susceptam crassitiem, per vniuersam sui substantiam obtinens, & extrinsecus connexam superficiem cylindri in modum præ se ferens, ad missilium confutationem & validior & magis idoneus reddetur. Ideoq; huic muro accommodatè ducendo magis recta linea quàm circularis congruet: quanquam domino, cuius impensis adificare cœptū est, optionē liberam offerimus, copiamq; facimus vtram malit, delegendi. Atq; in huiusmodi vallo, quod à constructis propugnaculis seu tormentorum stationibus liberum est, machinarum, quoquò vsus ac necessitas vocauerit, expedita facilisq; est traductio. Quanquā in aggere, vbi nulla est stationum obuallatio, & rationi consentaneum, & vsu accommodatum fuerit, singulis tormentis trianguli, aut quadranguli in modum protectionis aliquid astruere, quod rotulis innixum, facile celeriterq; concedat quoquò impulsū. Erit hoc quoq; non tam propugnandi rationi, quàm tuendæ saluti accommodatum, vt in vallo libero fossæ passim lapidum compositione suffultæ conficiantur, quatuor pedum altitudine excitatæ, quæ gradibus instructæ ad effugienda hostium tela descensum facilem & ad subito prodeundū in hostem, æquum oportunum præbeāt. Corbes quoque arena aliisq; viciis terrestri impletos, aut id genus cōsimiles detentiones, quales belli vsu edocti nouas subinde comminiscuntur, libebit in hoc vallo vsurpare, vt secundum eas subsidentes, periculum ab hostibus intetatum pulchrè effugiant. In his quidem statuendis vel eius præcipua ratio habenda est, quò sic aduersus vim impetumq; missilis obfirmentur, ne statim ad appellentem iniuriam subsecutæ, in subsessoris perniciem corripiantur. Porro his ex præscripto diligēter affabreq; cōfectis, in posteriore itē quadrato gradibus struēdis loci cōmoditas deligenda est, nimirum quò ex vtrisq; valli lateribus inter gradus constitutos & l. m. terminos, ternæ fenestræ in muro directo serpentibus locandis destinari queant, prorsum illis cōformes, quæ gradus de proximo attingunt. Qua quidem in re præstandum est vt singuli gradus binis fenestris ita ordinatis intercipientur, vt mutuò distinguantur spatiis comparibus, & quod inter gradus singulos & sibi proximam fenestram relictum fuerit. Vbi vallum hoc pacto communieris, tormentis quoque suffici-

enter